DE HERPETE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN ANTIQUISS. C. R. ARCHIGYMN. PATAVINO

AD LAUREAM MEDICAM

RITE ASSEQUENDAM

PUBLICAE EXQUISITIONI SUBMITTIT

CAROLUS BISKUPSKI

GALICIANUS TULOVIENSIS



PATAVII

TYIPS CARTALLIER

1837



MATRI FRATRIQUE

OPTIMIS

AUCTOR.

270



DEFINITIO ET DENOMINATIO MORBI.

Herpes a graeco ἕρπω serpo, unde latinis serpigo audit, quae denominatio ab ipsa morbi natura deprompta fuit. Arabibus formica dicta; etiam sub nomine lichenis (der Zitterich, die Flechte), venit.

Herpes est efflorescentia in cute, consistens in papularum aut phlyctaenarum rubrarum aut subflavearum congerie, cum sensu pruritus, tensionis, et ustionis erumpentium, humore vel seroso, vel lymphatico, vel sanioso, specifice olente, repletarum, abiens in pustulas, dein in simplicem desquamationem epidermidis, aut crustas deciduas, vel in ulcera maligna.

SUBSTRATUM.

Sedem herpetis derma, et in specie rete Malpighii agnoscit. Quando herpes est solitarius et non e diathesi universali, sed a causa topica venit, tunc non'

amplius ad cachexias pertinet, sed ad vitia localia. Si vero majorem corporis partem occupat, tunc morbum cachecticum inducit, nam tali ratione totus corporis habitus, aut pars quaedam insignior defoedatur. In omnibus locis superficialibus herpes occurrere potest; frequentissime autem infestat mentum, faciem, collum, regionem aurium et labia; rarius cubitum, antibrachium et regionem genu; rarissime volas manuum, et plantas pedum; nunquam vero capillitium. Herpes labialis frequenter secundario oritur modo in hydroa febrili, quam scalpendo crustae rumpuntur, phlogosis fit chronica et herpes nascitur. Observatur quoque herpes in praeputio et in iis locis, quae calorem notabilem servant et stringi solent, unde ille in collo, ubi periscalides ligantur, herpes periscalis et ille circa diaphragma, ubi thoracula cingi solent, zona s. Zoster vocatur.

Zoster autem non semper ejusdem est formae, sed variat in suo decursu; mox enim est acutus, mox chronicus. Zoster inflammatorius, si resolutioni proximus est et novae causae accedunt, inflammationem revocantes, chronicus fit et in herpetem convertitur.

DIVISIO.

Plures numerantur herpetis species, et quidem: herpes primarius et secundarius; haereditarius, congenitus et adquisitus; contagiosus et non contagiosus; fixus et vagus, imo et periodicus, omni graviditatis, menstruationis et fluxus haemorrhoidalis typo adstrictus; porro herpes siccus et humidus; simplex et

complicatus, qui iterum in arthriticum, scorbuticum, scrophulosum, syphiliticum et carcinomatosum discedit; denique herpes symptomaticus et criticus; sporadicus, endemicus et epidemicus. Omnes autem istae varietates herpetis ad tres formas pathologicas generales, a Galeno jam memoratas, reduci possunt, et quidem:

1. *Herpes simplex, farinosus s. furfuraceus.*

SIGNA CHARACTERISTICA.

Superficialiter cutis aliqua parte inflammata sub leviori pruritu et scalpendi nisu, nonnunquam sub sensu tensionis et ardoris, numerosae et quam maxime sibi adproximatae papulae parvae, rubrae vel flavae, interdum pellucidae prorumpunt, quae vel sponte ruptae, vel scalpendo apertae humorem parcum vel serosum, vel viscidum, vel lymphaticum plorant et exsudant, qui partes vicinas rodit, inflammat, pruritum excitat et novam eruptionem herpeticam producit. Hic humor sub aëris accessu condensatur et pars adfecta siccatur, quo facto lamellae tenues formantur et cutis sub forma squamarum farinacearum, furfuribus aut farinae similium, et flavo albescentium dehiscit, unde et nomen: herpes siccus aut farinosus, depromptum. Hac desquamatione finita cutis subjacens rubescens, modice exsudans et humida adparet. Exsudatio iterum coagulatur, siccatur et novitus sub forma furfuris separatur. Sic itaque exsudatio et desquamatio alternant. Haec forma herpetis occurrit

plerumque in facie, in auriculis, in mento, collo, cubitu, antibrachio, volis manuum et plantis pedum. Hic herpes raro fixum tenet locum, sed frequentius sedem mutat. Ob sedem inflammationis in vasis cutis capillaribus inflammatio haec erysipelati est analoga. Quum neque tam magnas molestias adfert aegro neque in profundum petit, neque tam magnas devastationes inducit, uti aliae herpetis formae, neque reliquam salutem notabiliter turbat, imo saepius characterem criticum gerit, ideo etiam herpes benignus vocatur.

2. *Herpes miliaris, pustulosus, phlyctenodes; Graecis κεγχριας.*

SIGNA CHARACTERISTICA.

Haec forma herpetis profundius jam petit; adgreditur nempe mucum Malpighii et corpus papillare, quapropter etiam inflammatio vehementior et magis dolorifica inducitur. Herpes miliaris, acutorum exanthematum prodromis praegressis, incedit cum intensiori rubore, majori pruritu, calore et ardore partium adfectarum, quae molestiae noctu exacerbantur. Nonnunquam et febricula, typhum intermittentem servans, praecipue post assumptos cibos irritantes et potus spirituosos exsurgit. Post paucos dies emicant ex superficie inflammata pustulae albicantes vel flavescentes, seminibus milii similes, intus vel ad apicem humore seroso-lymphatico repletae, ita, ut non-

nunquam plures earum confluant. Rarius magnitudinem lentis aut pisi adipiscuntur, semper autem earum margo inflammatus et sensilis est. Quae pustulae aut sponte ruptae, aut scalpendo apertae humorem acrem, foetentem, seroso-lymphaticum plorant, qui vicinas partes cutis irritat, inflammat, et hac ratione exanthema per majorem cutis plagam extendit. Ex hoc humore seu potius ichore sub aëris accessu formantur squamae vel crustae, quibus separatis novae nascuntur, et secundum has herpes miliaris in duas iterum subdividitur formas: *a*) in herpetem squamosum, et *b*) in crustaceum.

a) Herpes squamosus semper herpetem miliarem supponit. Pustulae rumpuntur, sed exsudatio non est valde copiosa, exsudatum mox indurescit et format squamas tenues, inaequales, griseas aut nigricantes vel flavescentes, corneas interdum pellucidas, quae paullatim separantur, quorum loco novae iterum ex exsudatione, quae sub illis contingit, formantur. Quando exsudatio parca, et cito indurescit et sub squamis formatis nullus adparet humor, tunc dicitur herpes squamosus siccus. Si vero squamis elevatis humor extricatur, et pars adfecta humida perstat, tunc vocatur h. squamosus humidus.

b) Herpes crustaceus (die borkige Flechte) semper h. miliarem prodromum agnoscit. Pustulae hujus ruptae largiorem et spissiorem exsudationem suppeditant, quam illae herpetis squamosi. Humor exsudatus celerrime indurescit et format crustas crassas, sub quibus separatis sordidam, profunde rubram plagam

conspicere licet, quae nova exsudatione iterum crusta obducitur. Si istae crustae diu insident, valde indurescunt, fiunt crassae cum inaequali superficie, coloris albi vel flavi, aut nonnunquam brunei, vel ex fusco nigrescentis. Ichor, quum effluere non potest, profunda efficit ulcera, nec non devastationes cutis. Utraque forma herpetis miliaris nullo corporis loco determinato adstricta est, ita ut neque pectori, neque scroto parcat, attamen frequentius occupat faciem, et deinde praeprimis mentum, qui herpes sub nomine mentagrae venit, labium superius, alas nasales, genas, dorsum, brachia, crura et prae aliis tibias praediligit; imo et in perinaeo occurrit, in subjectis praesertim haemorrhoidariis sub nomine lichenis haemorrhoidalis, in quo casu dolorificas sensationes et molestissimum pruritum excitat. Totus organismus citius et majori gradu, quam in herpete sanioso, male adficitur. Herpes enim, jam per se pejoris indolis, saepe est symptoma reproductionis laesae. Praeterea, dum cum majoribus molestiis et doloribus, inquietudine et insomnolentia, nec non exsudatione copiosiori conjunctus est, insignem virium et humorum jacturam inducit. Quapropter longius perdurante hoc malo nutritio laeditur, digestio turbatur, habitus collapsus pallidus, status gastricus, pituitosus, obstructio alvi ex torpore canalis alimentaris, aut diarrhoea pituitosa, blenorrhoeae variae, in feminis fluor albus, in viris medorrhoea haemorrhoidalis exoriuntur; urinae sunt turbidae, viscera abdominalia intumescunt et indurantur; serius oedema pedum et febris lenta in con-

spectum veniunt et herpes miliaris tandem in malignum terminatur.

3. *Herpes malignus, rodens, phagedaenicus, ardens, depascens.*

SIGNA CHARACTERISTICA.

Herpes phagedaenicus vel cancerosus, (a veteribus et ab ipso Celso nomine formicae ambulantis insignitus), pessimam herpetis formam exhibet. Iisdem in primordio stipatur symptomatibus uti herpes miliaris. Incedit nempe cum vehementi pruritu, ardore et rubore unius aut plurium cutis plagarum, quibus saepe et febris manifesta sese associat, sed post aliquot dies erumpit in loco inflammato pustula magnitudinis pisi aut nucis avellanae, quae mox rumpit et humorem acrem, cruentum, rodentem, ichorosum et foetentem effundit, qui in parte adfecta et infecta, atrocissimos dolores ardentes et rodentes gignit, et ulcera foetentia producit. Hic herpes format quoque crustas, sed quum humor secretus non est spissus, neque lymphaticus, neque purulentus, sed serosus et saniosus, hinc et crustae nullam adipiscuntur crassitudinem notabilem et mox secedunt. Ulcus adparet sordidum, laxum, erosum, et ex fundo ejus extricatur ichor tenuis, cruentus et putride foetens. Ichor effusus irritat et inflammat vicinas partes et similes pustulas ulceraque in lucem edit. Haec herpetis forma horrenda, quae plerumque cum syphilide, scrophulis aut scorbuto complicata est, minus est fugax, quam aliae her-

petis species, attamen et illa nonnunquam sedem et locum mutat: praediligit autem quam maxime faciem et, si longius tempus durat, per magnas cutis plagas sese extendere potest. Ita adgreditur mentum aut totam faciem larvae adinstar, oculis exceptis; infestat quoque collum, pectus, crura interioraque etiam aurium et nasi. Herpetem malignum, plures, quam antecedentes herpetis formas, adfectiones secundariae concomitantur, quae partim topicae sunt et proxime a locali adfectione dependent, partim sunt sequelae herpetis in systema reproductivum reagentis. Prioribus adnumerantur malae secretiones in ulceribus et eo magis profundiores devastationes cutis, pilorum defluvium, inflammatio, suppuratio et devastatio musculorum subjacentium, imo ipsorum ossium; posterioribus accensentur debilitas et dedolatio, macies universa, formatio status scrophulosi, phthisis trachealis et pulmonalis tuberculosa, status gastricus et pituitosus, torpor organorum abdominalium, tandem intumescentiae oedematosae, hydrops universalis et febris hectica.

Omnes herpetis species plus aut minus, pro gradus diversitate, peculiari gaudent acredine, ita, ut saporem praebeant modo nauseosum, modo dulcem, cultrum reddant rubiginosum, partes vicinas infestent, arrodant et inflamment. Haec peculiaris qualitas subponit morbum ex proprio viro originem ducentem, et eo magis, quod per incisionem propagari et morbum sui similem producere valet, quin tamen virus miasma dici possit.

STADIA.

Herpes prodromis exceptis absolvit stadia eruptionis, irritationis aut phlogoseos; morbosae lymphae secretionis vesicularumque seu pustularum formationis; siccationis et desquamationis.

DECURSUS.

Herpetis decursus summopere variat, ita ut a septimanis paucis per menses, annos, imo totam vitam extendatur; sic nonnumquam herpes exanthematis acuti more in uno absolvitur loco, hoc autem vix finito, in eadem, aut alia vicina vel remota plaga exsurgit, simili modo decursurus; unde sic dicta vicissitudo, quae praecipue herpeti farinoso propria est. Per brevius tempus in genere herpes farinosus et squamosus, longius vero crustaceus et phagedaenicus durant. Interdum evanescit herpes, praecipue miliaris et squamosus, sed iterum certis periodis recurrit, plerumque post indigestionem nutrimentis pinguibus, rancidis, digestu difficilibus, aut acris potulentis inductam; itidem recurrere solet sub statu gastrico et pituitoso, quatenus huic statui tempestas humida favet; frequentissime vero tempore verno aut autumnali. Nonnunquam alternat herpes cum aliis morbis et assumit, si morbi, quos excipit, majoris momenti sunt, non raro characterem exanthematis critici, ubi tunc alios morbos systematis reproductivi et organorum abdominalium, statum nempe gastricum et pituitosum, haemorrhoidalem et ano-

malias menstruationis, arthritidem et chronicas blennorrhoeas aufert; rarius vero morbos systematis sensibilis, uti epilepsiam, melancholiam, vertiginem, cephaleam, asthma, surditatem, amaurosim et alias paralyses levat.

AETIOLOGIA ET NOSOGENIA.

Herpes est specifica cacotrophia, qua praesente secretio in superficie cutis externa per processum morbosum qualitative alienatur, et pars adfecta, etiamsi in homine herpetico nulla cacotrophiae signa adsint, humorem peculiarem, acrem et pravae indolis exsudat. — Est et herpes solitarius, qui non semper integram laedit productionem, sed topice tantum in parte quadam exsistit et plerumque a causa mechanica aut chemica producitur. Sic lacrymae ab individuis scrophulosis secretae et peculiari acredine donatae libenter illas partes genarum, quas percurrunt, irritant, inflammant et phlyctenas producunt, quae scalptae aut irritatae exulcerantur et neglectae in verum transeunt herpetem. Sic immundities in laneis vestimentis, re acri imbutis, eruptiones producit, quae neglectae in verum transeunt herpetem; uti in militibus, qui gerunt collare ex crinibus equinis formatum, herpes collaris saepius enascitur. Cingula in poplitea efformant pericolidem. Aliam causam sistit refrigerium vehemens, quod praecipue hieme, speciem pernionis producit, qui recrudescens herpetis naturam inducit. Ex his elucet, quod causae herpetis localis vix non semper

assignari possunt. Difficilius autem assignatu est causa interna, quae cum propria diathesi et cacotrophia herpetem producit. Sine dubio vero est processus aliquis specifico modo vitiatus. Nonnulli credunt cachexiam herpeticam esse haereditariam et congenitam, alii vero hoc negant. Alii iterum diathesim herpeticam non admittunt, adfirmantes, esse tantum degenerationem scrophulae, syphilidis aut arthritidis; alii in hepate et bilis secretione vitiata causam quaerebant; alii materiam empyreumaticam, ex usu aromatum et spirituosorum adcusabant; sed quaelibet opinio nondum experientia comprobata est. Urinarum et aliarum excretionum functiones alteratae multum ad hunc morbum producendum contribuere videntur; nullum tamen dubium est, quod sub certo concursu, potus, victus, pathemata, aliaque momenta diaetetica, aër humidus ect., productionis negotium alterent, ita, ut se per vitiatas secretiones in cute, quae herpetem generant, manifestent.

TERMINATIONES.

Hic morbus aut in sanitatem abit, aut, quod frequentissime fit. in alios terminatur morbos, et quidem vel in morbos ejusdem indolis, uti herpes farinosus in crustaceum, hic iterum in phagedaenicum, aut helcosim herpeticam per totam corporis superficiem disseminatam; vel in morbos mutatae indolis per metaschematismum, ut in phrenitidem, in peripneumoniam et insultus asthmaticos.

PROGNOSIS.

Ex herpetis descriptione huc usque data sponte fluit, ipsum facile in sanitatem abire posse, eatenus, quatenus recens, primitivus et topicus sit aut a causis externis dependeat, quando vero est inveteratus, vagus, complicatus, e causis internis profectus, late expansus et cum propria diathesi conjunctus, tunc non tantum non difficillime sanatur, sed interdum, medicaminibus fortioribus adgressus, summo cum damno retropellitur; nam organismus morbosus, si non invenit colatoria sufficientia, ubi suas faeces eliminare queat, alias quaerit partes.

THERAPIA.

In rationali herpetis cura semper respiciendum est, utrum hic morbus topicus sit et ex causis externis originem ducat, an universalis et effectus propriae metamorphoseos in systemate reproductivo qualitative alienato.

Cura est duplex: externa et interna; mixta vero, si una cum altera combinatur, efficacissima redditur. Remedia, quae in cura externa herpetis, praecipue si est dolens, inflammatus, aut crustam densam format, commendantur, sunt emollientia, fomenta topica, cataplasmata, balnea topica et universalia, inunctiones cum oleo blandoet puro, imprimis cum oleo nucum decantato et butyro cacao; serius, phaenomenis phlogoseos absentibus, transeundum est ad illa remedia, quae

uberiorem secretionem infringunt, ergo ad adstringentia tonica, stiptica, saturnina. Melius adhuc quadrant ea, quae non tantum qualitatem emendare et secretionem infringere possunt, sed etiam ejus causam tollunt. Huc spectant coagulantia et solventia. Praecipue laudantur mercurialia; uti solutio mercurii corrosivi, unguentum mercurii album et citrinum, quibuscum bis aut ter de die inungantur partes herpete adfectae; porro solutio vitrioli albi et kalinae. Magnum emolumentum praebent etiam balnea kalina, saponata, muriatica, marina, sulfurica, quae partes crispatas resolvunt, crustas separant et secretionem emendant. In casibus rebellibus laudant nonnulli unguenti mercurialis inunctionem ad comparentem usque salivationem; alii commendant emplastrum vesicans parti adfectae impositum, unguentum oxygenatum cum hydrochloro confectum, decoctum Nicotianae, Ledi palustris, ulmi campestris et omnia, quae humores a partibus nobilioribus ad minus nobiliora revocant, uti repercutientia, fonticuli, purgantia, adplicatio corticis Mezerei etc. Inter rusticos habentur etiam quaedam specifica empirica, uti saliva hominis jejuni, ros fenestrarum, oleum tartari per deliquium, unguentum ex sebo cervino cum vino rubro, decoctum radicis liquiritiae, lac aceto coagulatum, olea empyreumatica, acetum destilatum forte, acidum citricum. Haec quoad curam externam. Praeter hanc autem et remedia interna, quae productionem organicam qualitative vitiatam emendare valent, simul in usum trahenda sunt, et eo magis, si morbus pertinax et ex

causis internis originem ducit. Hoc intuitu proponuntur mercurialia et antimonialia, (aethiop antim. mineral., pulv. alterant. Plummer. etc.), nec non sulfureta; porro usus guajaci, decocti et extracti caulium dulcamarae et decoctorum e speciebus lignorum, sanguinem, ut ajunt depurantium.

Quirin laudavit herbam scordii; Weinhold commendat graphitem, cujus usus externus et internus egregiam virtutem exserere dicitur in herpete chlorosim, scorbutum aut scorphulas fontem agnoscente. Adplicatur secundum illum externe forma pulveris cum axungia aut saliva in unguentum redacti (v. gr. ex pulv. alcoholis graphitis elutriati dr. duab. et semis, et axung. porc. recent. unc. dimidia), vel cute nimis irritabili forma emplastri (v. gr. empl. saponat unc. semis et pulv. alcoh. graphit elutriat. dr. un.); interne electuarii, bolorum aut pilularum forma solus aut, ubi complicatio concedit vel jubet, in connubio cum mercurio solubili Hahnemanni, antimonio, sulfure et aliis. Partitis porrigendus est dosibus ter, quaterve de die, ita ut ab adultis drachma graphitis intra nychthemerum consumetur. Unciam hoc modo intra octo dies absumtam morbo debellando, ut Weinhold dicit, sufficere. Alii laudant alcali volatile, violam tricolorem, (quae in tinea lactea sananda maxime praedicantur), nec non fumigationes sulfurosas, quae vero ob vires organa respirationis vehementissime irritantes cum maxima cautela et nonnisi in proprio adparatu instituendae sunt.

Quod regimen diaeteticum adtinet, cibi et potus sint blandi ususque eorum necessitati ac digestionis viribus adcommodatus; aër sit liber, purus et siccus; munditiei cura per balnea, lotiones et vestimenta sanctissime observanda.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Aquarum medicatarum, dum ad ipsos fontes adhibentur, virtus medica major.

II.

Medicaminibus duplex in vivum agendi ratio, mechanica nimirum et dynamica, competit.

III.

Disseminatio contagii, ut plurimum, muscarum ope fit.

IV.

Nulla datur infectio per ventriculi viam.

V.

Acutos et inflammatorios morbos remediorum copia profligare velle, errare est.

VI.

Caffè stomacho debili mirum in modum prodest, et capitis dolorem postmeridianum solvit.

VII.

Ciborum opportuno selectu quamplurimi curantur morbi.

VIII.

Dolor non semper ibi, ubi morbi sedes est.

IX.

Hypothesim certam et stabilem faciunt diuturnae observationes.

X.

Quo gravior morbus, eo major medicamentorum heroicorum, quae ejus indoles postulat, tolerantia.

XI.

Crescente generis humani cultura psychica, crescit etiam ad morbos dipositio et numerus morborum.

XII.

Nullum datur symptoma distinctivum inter encephalitidem et febrim nervosam.

XIII.

Pauci inveniuntur homines Taenia laborantes, qui neque febri intermittente, neque scabie laboraverint.